1461.2.4

OXONII DUX POETICUS,

SIVE

LATINIS VERSIBUS, HEXAMETRIS ET PENTAMETRIS,

DESCRIPTIO,

QUA

FERE PUBLICA QUÆQUE OXONII MONUMENTA

ADUMBRANTUR,

SIMUL ET VARIÆ VIRORUM ACADEMICORUM TOGÆ,

VARIA JUVENTUTIS ACADEMICÆ PER ISIM

NAVIGANDI RATIO,

DEMUM

Quæcunque, Oxonii, ſive in Univerſitate, ſive in Oppido, perſtringunt Oculos Splendore, Animoſque Admiratione percellunt.

AUTORE M. AUBRY,

RHETORICES PROFESSORE.

Miratur, facileſque oculos fert omnia circùm
Æneas, capiturque locis, et ſingula lætus
Exquiritque, auditque virûm monumenta priorum.
VIRGIL. Æneid. lib. viii. ver. 310.

OXONII:

Sold by the Author, at Mr. CALCOTT's, Bookſeller, Broad-ſtreet, oppoſite Trinity College; by Mr. CALCOTT; and by Meſſrs. FLETCHER and HANWELL, in the Turle.

[PRICE FIVE SHILLINGS.]

1795.

43. 6.
7. 66.

PRÆFATIUNCULA.

NON ego hîc longam præfationem de more præfigam. Neque enim indigere opus arbitror, ſi claritas illud et perſpicuitas fortè commendent; illa verò inutilis ac ſupervacua foret, ſi obſcuri verſus et ſalebroſi reperiantur. Quemadmodum pictura, ſi benè expreſſa ſit, rem ab Autore depictam ſatis per ſe oſtendit; fruſtrà autem ei magnifica ſonoraque verba ſuppoſueris, ſi tabella ipſa, malis adumbrata coloribus, manca et informis horreat.

Pauciſſimis igitur annotatiunculis opuſculum hoc illuſtrandum cenſui; cum omni ſtudio et curâ contenderim, ut lene flueret carmen, et legentibus, Oxonii non peregrinis, obvium ac facile pateret.

Sin autem ad egregiam tot ſuperbarum rerum magnificentiam et majeſtatem, verſuum ſublimitate verborumque elegantiâ, aſſurgere minimè potuerim; nihil ſaltem de ſplendidâ earum famâ detraxiſſe me confido.

In ſcribendis enim his verſiculis, illud unum ego mihi propoſui ut, ſi non placerent omnibus, nemini certè diſplicerent.

Nihil itaque mihi volenti excidit, quod vel delicatiſſimas aures (de rebus hîc, non de verſibus ipſis loquor) tenerrimoſque animos offendere poſſe exiſtimem; felix! ſi propoſitum finem aſſecutus, meam publicorum in hâc civitate monumentorum admirationem, maximum in Oxonienſem Academiam obſequium, ſummam Anglicæ humanitatis et magnificentiæ opinionem, æternamque benè grati animi memoriam, non indignis coloribus adumbratam, legenti cuique manifeſtare potuerim!

CONTENTS.

	Line
Introduction	1
Magdalen-Bridge	21
Magdalen-Tower, College, Garden, &c.	27
High-Street	83
Queen's College	94
Univerſity College	108
St. Mary's Church	117
All Saints Church	121
All Souls College, Library, Pictures, &c.	127
Radcliffe's Library	147
Braſen-noſe College	163
Hertford College	177
Schools	181
Pomfret Marbles	211
Arundel Marbles	223
Bodleian Library	243
Printing Houſe	275
Theatre	297
Muſæum	371
The Roman Emperors' Heads	373
New-College, Garden, Chapel, Windows, &c.	379
Trinity College, Chapel, Garden, &c.	578
Wadham College	656
Exeter College	667

Jeſus College – – – – 671
Lincoln College – – – – 673
Balliol College – – – – 678
St. John's College, Garden, &c. – – – 685
St. Giles's Street – – – – 779
The Infirmary – – – – 785
The Obſervatory – – – – 804
Worceſter College – – – – 827
The Caſtle and Priſon – – – 840
Town Hall – – – – 849
Pembroke College, Johnſon's Room, &c. – – 852
Chriſt Church College, Squares, Hall, &c. – 879
Oriel College, Hall, Library – – – 969
Corpus Chriſti College – – – 969
Merton College, Tower, Garden – – 985
Chriſt-Church Walk – – – – 1001
Chriſt-Church Meadow – – – 1009
Different Dreſſes of Gownſmen – – – 1012
Dreſſes of Noblemen, Gentlemen Commoners, and Commoners 1035
Iſis – – – – – 1076
Variety of Sailing on the Iſis – – – 1083
Cherwell – – – – – 1098
Phyſic Garden – – – – 1105
The Halls – – – – – 1123
Headington Hill – – – – 1130
Blenheim Houſe – – – – – 1139
Newnham Houſe – – – – 1144
Stowe – – – – 1147
Roman Catholic Chapel and Picture – – 1171
Concluſion – – – – – 1203

OXONII DUX POETICUS.

QUICUNQUE Oxonium, reginâ ex urbe, viator,
Caſuve adductus, conſiliove, venis;
Ut primùm limen tetigiſti pontis, apertâ
Te celerem è rhedâ deſiluiſſe juvet.
Lento deindè gradu pedes ire memento, ſuperba
Mirari ut meliùs tot monumenta queas.
Olim, ponte illo, me matutinus agebam:
Obfuit ecce oculis advena fortè meis.
Tempus erat, quo ſol nitido caput exerit ortu,
Perlongoſque facit Junius eſſe dies.
Anxius hærebat, quâ primùm parte, locorum
Neſcius, ille iret, dirigeretque pedes.
Acceſſi, fortem, ut decuit, miſeratus, et illi

Ductoremque viæ me, comitemque dedi*.
Nec, ſolito de more, perutile tempus, inani
Verborum ritu, colloquiove terens,
Num cernis, quàm multa uno miracula, dixi,
Obtutu poſſint vel leviore rapi;
Quàm multæ hinc atque hinc, diverſo ex ordine, turres
Emineant tectis, arboribuſque ſuper?
Nec te primùm oculo pigeat luſtrare ſagaci
Artificis pontem non mediocris opus:
Quem fruſtrà voluit, vitii benè conſcius, ille
Eſſe magis latum, dignus ut urbe foret.
Hinc autem adverſam propera convertere ad urbem
Lumina, ſuſpiciens, et meliora vide.
Cernis, ut inſigni cum majeſtate, quadrata
Formoſum attollit turris ad aſtra caput?
Ut teretes hanc turriculæ bis quatuor ornant?
Utque his turriculis aureus ardet apex?

* What ſeems to be here a mere fiction, happened to the Author himſelf at Briſtol, where an Engliſh Gentleman he met with in walking, and to whom he was quite unknown, had the kindneſs, though very old and afflicted with the gout in his feet, to conduct him through almoſt the whole city of Briſtol, four hours together, from ſix to ten o'clock in the evening.

Magnificæ illa tuæ ſtat, *Magdala* diva, Palæſtræ
Ornamentum ingens, Oxoniique decus.
Ipſâ deindè domo, non inferiora videbis,
Limina ſi Templi ſacra ſubire libet.
Eſt in ſeceſſu longo, in penetralibus imis
Delubri, inſolitâ picta tabella manu:
Egregium artis opus, monumentum inſigne, futuris
Quo vivet ſæclis laus tua, magne *Guido*.
Hanc tueare ſilens, fractuſque dolore, tabellam,
Quâ tot acerba tulit Chriſtus, amore tuî.
Aſpice, uti facie pallens, exanguis, anhelans,
Dejicienſque imo lumina mœſta ſolo,
Vix crucis immenſæ trahat intolerabile pondus,
Et genua, horrendâ mole gravata, labent.
At tantos inter quæ manſuetudo dolores!
Quanta animi bonitas, tota per ora, nitet!
Flagitiis hominum vel dum cadit hoſtia, quantus
In genus humanum fronte relucet amor*!
Prodigium hoc animo ſecum reputare volenti

* There is beſides in St. Magdalen's Chapel, over the great door, a beautiful painted window, which was not placed, when theſe verſes were ſent to the preſs.

Proxima clauſtra patent, Cœnobiumque vetus*.
Hos quondam, à trepido rerum ſecluſa tumultu,
Turba virûm incoluit relligioſa locos.
Divinis feſſi ſtudiis, per vaſta ſolebant
Atria quique animos hîc recreare ſuos.
Ædibus antiquis ædes ſi fortè recentes
Prætuleris; mecum tecta propinqua veni.
Quanta hæc apparent! Majeſtas quanta! decoræ
Quantus honos formæ, quantus et ordo nitet!
Non artis vano perſtringunt lumina luxu;
Sed pulchrâ meliùs ſimplicitate trahunt.
Tanta, heu! cur pendent opera interrupta? Superbum
Deeſſe ſibi hoc corpus brachia digna gemit.
Hinc, per ponticulum, vaſtos tendamus in hortos,
Quos luſtrare oculis advena quiſquis amat.
Diverſis prata arboribus circumdata rivus
Irriguus vitreis undiquè cingit aquis.
Has tibi propter aquas, patulâque ſub arbore, calle
Nunc curvo, rectâ nunc licet ire viâ.
Aſpice, ut, arboribus ramos jungentibus, umbrâ
Obſcurum, longo tramite, currit iter.

* Formerly a Convent of Monks.

Tegmine ſub denſo, viridi ſub fornice, tutus
Rides ignivomi flammea tela Canis.
Ingenii lepidos fœtus, benè cognitus, Autor
Dicitur hâc ipſâ parturiiſſe viâ.
Hinc vitia et pravos mores, Spectator acutus,
Urgebat ſalſis, ſed ſine felle, jocis.
Utque *Addiſſonio* antè alias via opaca placebat,
Hæc *Addiſſonii*, nunc quoque, nomen habet.
Longiùs aſt illis hortive, domûſve teneri
Illecebris animum ne patiare tuum.
Namque videnda tibi multa et præclara ſuperſunt,
Defigent oculos quæ novitate tuos.
Occurret primùm illa tibi via magna, ſuperbis
Ædibus, et ſpatio, maximus urbis honos.
Divitias oculis non protinùs explicat omnes
Illa, ſimul, recto limite, tota patens;
At, flexa in mollem multò jucundiùs arcum,
Senſim expromit opes, non malè parca, ſuas.
Ut, ſi quis gemmas et rara numiſmata ſervat,
Non temerè hic properat trudere cuncta tibi;
Illa ſed oſtendit paulatim, ut ſingula longùm
Obſervare queas, ordine quæque ſuo.

Perge viam, et quæ ſtant monumenta inſignia dextrâ
Aſpice : Reginæ nobile nomen habent.
Paucis antè annis, regali condita luxu,
Regale oſtentant ſplendida tecta genus.
Aula duplex, circùm lætiſſima porticus, Ædis,
Bibliotheca ingens, hîc nova cuncta micant.
Cernis, ut in ſummo tectorum culmine, ternas,
Grande decus, ſtatuas quælibet ala ferat ?
Limina prima ſuper, levibus decorata columnis,
Turricula eſt, lepido concamerata modo.
Fornice ſub nitido, ſimul et Regina videtur
Munifica, et memoris gratia juſta Domûs.
Principe Gallorum *Luxemburgenſia* ab urbe*,
Tranſlata Oxonium tecta ſuperba putas.
Hæc contrà, formâ ſed ſimpliciora modeſtâ,
Alfredi magni regia dona vides.
Oxonii hæc habuit cunabula prima Palæſtra,
Terrarum cunctis nota Palæſtra locis.
Quantùm autem Regi præſtat Regina, ſuperbo
Cultu exquiſitæ veſtis, et arte comæ ;

* A ſtriking reſemblance to the royal palace of Luxembourg, in Paris.

Matronæve gravi formoſa puella, juventæ
Lumine floridulæ, purpureiſque roſis;
Ædibus oppoſitis tantùm, ſplendore coruſco,
Præſtat, Reginæ nomine dicta, Domus.
Sed ſatis hæc: attolle oculos, et ſuſpice turrim
Sublimem, ſacram, Diva Maria, tibi.
Ut levis æthereas, ceu pyramis alta, per auras
Erigitur, condens, ipſa ſub aſtra, caput!
Nec procul indè aſtat, ſacra ſanctis omnibus, Ædis,
Turre etiam meritò læta feroxque ſuâ.
Hæc non audaci par majeſtate priori eſt;
At plùs munditiæ, plùſque nitoris habet:
Concinnâ hæc novitate capit; prior illa ſuperbâ
Attonitos oculos nobilitate rapit.
Quam verò *Cunctas Animas* de nomine dicunt,
Ah! cave inaſpectam præteriiſſe domum.
Parte viæ, illa quidem præbet pauciſſima viſu
Digna, ſed occiduâ plurima parte micant.
Hîc lætus Gothico geminas ex ordine turres
Perſimileſque ſimul, contiguaſque vides.
Hæ benè quadratam mediæ dominantur in aulam,
Pulchraque deſpiciunt ſubdita tecta ſibi.

His adverſa nitens ſtat janua ; ſed Domus intùs
Præcipuas gremio divite condit opes.
Quem non delectet læto gratiſſima cultu,
Plenaque ſelectis Bibliotheca libris ?
Quem non percutiat templo conſpecta tabella ?
Vix geminas totâ cernis in urbe pares.
Cum Peccatrici, *noli me tangere*, Chriſtus
Dicit, uti trepidam vultus et ora trahunt !
Peccatum exhorret : flentem peccata benignè
Excipit, atque animis hanc jubet eſſe bonis.
Illa autem, lachrymis oculos ſuffuſa tumentes,
Et vultu et manibus, ſpemque fidemque probat.
Huic vicina loco, ſublimibus alta columnis,
Radcliffæa, recèns condita, tecta vides.
Hæc, plateâ in magnâ, vaſtâ aſſurgentia mole,
Stant ſola, audaci concamerata modo.
Vix ſe ſe attollunt ſublimiùs illa ſtupenda,
Romæ, Clavigero culmina ſacra Petro.
Nec minùs interior, regali ſplendida luxu,
Pars oculos, rarâ nobilitate, ferit.
Arduus ut ſurgit lato curvamine fornix !
Ut ſculptura ſuas undiquè præbet opes !

Obſerva attentus duo candelabra ſuperba,
Qualia pauca ſinu divite Roma capit.
Aſt ædes, templi potiùs pars mira, videntur,
Commoda quàm doctis Bibliotheca libris.
Circùm illas, parte ex omni, nullo ordine, multa
Diverſi generis, nec ſua, tecta vides.
Æreus (inſolito ſic dicunt nomine) *Naſus*
Hìnc ſtat, Pontificem lætus habere ducem*.
Apparet mediâ, viſu lacrymabile! in aulâ,
Humanâ cædes prima patrata manu.
Invidiâ demens, rabido fremit ore Cainus,
Et fratrem immani cum feritate necat.
Sanguinea hoc totum fluxêre è fonte per orbem
Flumina, queis, heu! nunc ebria terra natat.
Verùm à cæde, oculos citus ad ſpectacula verte
Læta magìs; Muſis et ſacra tecta ſubi.
Cerne hanc antiquam, ſublimi vertice, turrim,
Quæ quondam Aſtronomis ædificata fuit:
Aſtat nunc eadem, ceu propugnacula, contrà
Barbariem et Sophiæ ſubdola tela novæ.

* Dr. William Cleaver, the preſent Biſhop of Cheſter, Principal of Braſenoſe.

Illi adverſa, latet Sedes *Hertfordia*, clarum
Gymnaſii nomen nuper adepta Domus;
Quam poſitiſque novam exuviis, nitidamque juventâ,
Mox ſurrecturam nuncia Fama canit.
Verùm oculos adverte Scholis: priſca illa vetuſtas
Doctrinam longùm hîc jura dediſſe probat.
Quas plures cernis ſuper ardua tecta coronas,
Quænam mens totâ regnet in urbe, docent:
Præbent, quàm placeat, certâ ſub lege, poteſtas
Regia; quanto omnes Regis amore flagrent.
Vaſtâ hîc Ars omnis præclara docetur in aulâ;
Doctrinam ſedes et ſua quamque manet.
Hîc cathedrâ ex altâ, doctiſſima turba, magiſtri
Ingenii effundunt fertilioris opes:
Dum ſanæ, pendens doctoris ab ore, juventus
Doctrinæ dites impigra potat aquas.
Hic res divinas, fideique oracula pandit;
Ille, mali quæ ſit forma, bonique, docet;
Alter quæ rerum cauſæ, quis fontibus ortus,
Quis pluviis, æſtûs quæ ſit origo maris;
Quid quatiat terras, atro cur Veſvius ore
Flammarumque globos, vaſtaque ſaxa vomat.

Alter, Libertas quo ſtet fundamine, Gentis
Quæ leges, quæ ſint publica Jura, legit.
Æquâ alius pendit Monumenta recentia librâ *
Sedulus, atque oculis objicit illa tuis;
Dumque Virum pingit, ſi quandò occurrat, honeſtum,
Effigiem pingit, neſcius ipſe, ſuam.
Tuque tuum Vatem, tua qui miracula certo
Explicet ore ſagax, Diva Poëſis, habes.
Quìn et, dulciſono cantûs modulamine, lætas
Demulcere aures Muſica blanda ſolet.
Proxima ſed Logices Schola nos invitat, utrique
Ultrò theſauros exhibitura ſuos.
Pomfretiana ſuo celeberrima Marmora celat,
Spirantes Statuas, Signaque viva ſinu.
Cernis, uti Cicero, meditatus fulmina vocis,
Grandiloquo indignans ore tonare parat?
Græcus ut Orator, quæ ſentit pectore, dextrâ
Monſtrat, et eloquio corda potente rapit?
Ut ſomno feſſus dat mollia membra Cupido,
Cum Pueroque malo tela quieta jacent?

* The Rev. Dr. Nowell, Principal of St. Mary Hall, and Profeſſor of Modern Hiſtory; a gentleman well known for his learning, mildneſs, polite manners, and exact probity.

Quam puer idem olim radicibus eruit imis,
Heu! miſeræ Trojæ rudera mœſta vides.
Non tot Signorum percurram nomina, quæ tu
Vix uno hîc poſſis cernere cuncta die.
Ergo ea, quæ dicuntur *Arundeliana*, petamus
Marmora, vicino multa repoſta loco.
Hæc, aut falſorum præbent ſimulacra Deorum,
Quæ nimìs, heu! Veterum pectora cæca probant;
Numinibuſve iſtis erecta altaria, Vaſa
Omnigena oſtentant, magnanimoſque Viros.
Pleraque vel Græcè, vel ſunt inſcripta Latinè,
Teque hujus Mundi tempora priſca docent.
Hoc autem imprimis, è multo fragmine conſtans,
Antiquum attento lumine marmor obi.
Quotquot Athenæis Reges in mœnibus olim,
A Cecrope ad Codrum, ſceptra tulêre manu,
Horum res geſtas, diverſaque nomina, Graiâ
Tu Linguâ, pario hoc marmore, ſcripta legis.
Vendidit has, auri tenui pro pondere, gemmas
Turpis Avarities, Barbarieſve rudis;
Aut, dites fodiens, Argiva per arva, ruinas,
Detexit ſolers, ſurripuitque manus.

Cuncta hæc ſi cupias cognoſcere Marmora, magnâ
Compoſitus curâ, continet illa Liber.
Hunc, nos quam petimus, tibi *Bodleiana* volenti
Offeret inter opes Bibliotheca ſuas.
Vix etenim, Famâ paulò celebratius, ullum eſt,
Quod non illa, ſinu divite, ſervet opus.
Illi ingens pretiumque ſimul, numeruſque librorum
Egregium toto nomen in Orbe dedit.
Fama manu-ſcriptis ſed major; ut illa ſecundum,
Hâc ex parte, queat fortè tenere locum.
Hanc igitur mecum ſubeas; atque inſpice quidquid
Ætas ingenii priſca, recenſque tulit.
Hîc ſunt, à primâ quos vidit origine Mundus,
Doctrinâ inſignes, ingenioque viri.
Fortis Alexandri, Auguſti, magnique Leonis
Sæcla, tot æternis inclyta ſæcla viris,
Cum ſæclis, pulchras quæ deìn fulsêre per Artes,
Cum ſæclo, *Lodoix*, hîc coïêre tuo.
Ne mirêre igitur, ſi *Bodleiana* per omnes
Tam benè nota audit Bibliotheca plagas.
Diſciplinæ omnis fontes hîc jugibus undis
Immenſam poſſunt exſatiare ſitim.

Ne verò imprudens cuivis confide fluento:
Selige, et objectas ebibe cautus aquas.
Nam latices inter puros, limphaſque ſalubres,
Sæpè, heu! cum nocuo labitur unda luto;
Floridulâ interdùm ut ſerpens lethalis in herbâ,
Utque, roſas inter, ſpina maligna latet.
Jam nunc, ingenti conſpectâ hâc mole librorum,
An tibi diſcendi pectore crevit amor?
Nam (dixiſſe pudet) mihi deſperatio mentem,
Cum video ingenii tot monumenta, ſubit.
Librorum ecquis enim tot millia nomine noſcat,
Vel ſi Neſtoreos duret et ipſe dies?
Sed, librorum à ſede, illas pergamus ad Ædes,
In quibus, arte novâ, naſcitur ipſe liber.
Sunt hæc digna quidem illuſtri cunabula fœtu,
Cujus Natalem ſæcla futura canant;
Nec rarò ſoboles, tanti non degener ortûs,
Proſiluit, cujus Fama perennis erit;
Cunis nobilibus ſed multa informis in ipſis
Progenies, fato præcoce rapta, perit.
Quidquid id eſt, pulchrâ antè oculos ſurgentia formâ,
Cerne, precor, miris tecta ſacrata Typis.

Bis ter magnificis quàm ſtant benè fulta columnis !
Si paulò levior quæque columna foret.
Quàm benè culminibus ſculptæ præſtantiùs octo
Excubias ſtatuæ, militis inſtar, agunt !
Non libet ire intrò ; nam, longo à tempore, noſti,
Quâ novus in lucem prodeat arte liber.
Tu ſcis, ut ſimplex ſententia, voxque colorem
Et corpus, celeri dexteritate, trahant ;
Ut volucreſque ſonos, fugitivaque verba tenaces
Conſtringant, veluti vincula firma, Typi ;
Et, dum ſub prælo liber ingemit, ut gravis ipſum
Autoris pectus ſollicitudo premat.
Ergo verte oculos in proxima tecta : Theatri
Ecce tibi ſe ſe nobile præbet opus.
Pars nitet anterior, bis ſenis clara columnis ;
Ternaque, fronte ſuper, vaſa coruſca vides.
Turriculæ ſpecies ſupereminet ; atque coronam
Unam obit innumerus Pontificalis apex :
Tantus Regalis ſub corde exæſtuat omni
Imperii et patriæ Relligionis amor !
At Domus interior, viſu mirabilis, omnes
Artis Apelleæ ſplendida pandit opes.

Muri circuitus, laquearia, denique tota
Artifici fulgent atria picta manu.
Hîc Diſciplinæ, cum doctis Artibus, omnes
Expreſſæ, proprio quæque colore, nitent.
Has erumpentes, media inter nubila, Cœli
Hùc ex Æthereâ ſede volaſſe putas.
Omne fugat Vitium Virtus, trepidumque repentè
In tenebris cogit condere turpe caput.
Palladis aſpectu, gelidâ formidine pallet
Invidia, et caſu præpete lapſa ruit.
Quodlibet egregium rudis Ignorantia fruſtrà
Inſanis ſalibus ſpargere tentat opus;
Concutit indignans virgam Caducifer: iſta,
Vi magicâ torpens, obſtupefacta ſilet.
Dentibus infrendens, et vultu torva feroci,
Barbaries, fuſo tincta cruore, madet:
Irâ oculi ardeſcunt: armatur dextera ſicâ
Sanguineâ: ardentem lampada læva quatit;
At, dum Doctrinæ intentat furioſa ruinam,
Frangitur Herculeis ira repreſſa minis.
Non hîc exercet, multis ut ſæpe Theatris
Accidit, imperium prava Libido ſuum.

Hìnc Venus, et Veneris metuendus Natus, et omnis
  Riſus turpis abeſt, indecoriſque Jocus.
Non hîc laſcivis reſonant concentibus Ædes;
  Non auris fœdo carmine læſa dolet;
Caſta ſed innocuas blando modulamine mentes
  Delinit cætu Muſica digna pio;
Oratorve potens, alter ceu Tullius, omnes
  Facundo ore animos, eloquioque tenet;
Aut, faciles fundens è venâ divite verſus,
  Phœbeus Vates pectora cuncta rapit.
Namque hîc ſolemnes, ſpectacula grandia, cætus
  Oxonienſis habet clara Palæſtra ſuos.
Hîc decus omne ſuum, majeſtatemque ſuperbam
  Explicat; et pompâ, quanta ſit illa, ſtupes.
Hîc ille excipitur, magnâ plaudente coronâ,
  Quem ſibi conſpicuum ſeligit ipſa Ducem.
Eminet hîc princeps, regni quem tota Miniſtrum*
  Anglica Gens meritò geſtit habere novum.

* His Grace the Duke of Portland, elected Chancellor of the University of Oxford, in the year 1793, and nominated Secretary of State, very ſoon after.

Nec laus parva tibi eſt, ſapiens Academia, Regis
Prævidiſſe animum, judiciumque tui.
Illo abſente, prior Vice-Cancellarius altâ
Sede micat, tanti Duxque caputque Chori.
Illius antè pedes, Romani Conſulis olìm
Grande decus, Faſces ritè jacere ſolent.
Tum dextrâ lævâque, Manus lectiſſima, docti
Doctores circùm, Nobilitaſque ſedent:
Ordine pro vario, diverſicoloribus illi,
Aureis hi fulgent, purpureiſque togis.
Artibus egregiis, pullâ cum veſte, Magiſtri
Deinde adſunt, ſolers atque perita Cohors.
Tùm, pariter ſub veſte nigrâ, numeroſa Juventus
Apparet, Patriæ ſpes benè certa ſuæ.
Denique ſelecti ſua fixa ſedilia cives,
Tanti pars cœtûs non mediocris, habent.
Conjuge cum tenerâ conjux, cum matre puella,
Cultu magnifico conſpicienda, venit;
Ut, ſeu Doctrinam ſpectes, pompamve ſuperbam,
Vix re unquam poſſis ſplendidiore frui.
Longiùs at forſan me detinuêre Theatri
Illecebræ, oblitum, quàm celer hora ruat.

Feſtinabo igitur; nec te ampliùs indè morabor;
Multaque, conſpectu digna, tacebo dolens.
Muſæi ergo bonam properanti lumine frontem,
Quamvìs ſint intùs plurima rara, vide.
Si, quorum fuerint capita iſta horrenda, requiras,
Quæ præter latam ſtant numeroſa viam;
Cæſareos totidem vultus, truncataque ſigna,
Haud veri ſemper nuncia, Fama refert;
Terricula at pueris ego credo erecta protervis,
Ne nocuâ hi lædant proxima tecta manu.
Lingue ergo hæc, celereſque *Novi* properemus ad Ædes
Gymnaſii: ducit non via digna Domum.
At latet hæc, miſerâ ceu pyxide condita gemma,
Ut fulgore oculis ſplendidiore micet.
Aulæ ſunt geminæ: prior eſt ſpatioſior, atque
Jucundo, ut cernis, graminis orbe viret.
In Senium incipiunt obeuntia vergere tecta:
Occupat, heu! ipſas prompta ſenecta domos.
Altera, parva magis, circumdatur ædibus aula,
Quæ ſimiles, ſimili nobilitate, placent.
Hìnc potes eximios circùm tua ferre per hortos
Lumina, et aſpectu ruris, in urbe, frui.

Arboribus patulis duplex via conſita, opacas
Sub ramorum umbras, frigora amœna vocat.
Extremo, artis opus, viridis mons ſurgit in horto.
Quàm benè Parnaſſi culmina docta refert!
Cur autem hinc nequeo nitidiſſima cernere tecta*,
Quin tumidis oculis lachryma multa fluat?
Ah! mihi *Verſalias* nimìs illa referre videntur,
Quâ Regis miſeri limina parte ſubis:
Sontes *Verſalias*, quæ primæ incendia ſæva
Accendêre, quibus Gallia aduſta perit!
Ergo hinc aufugio præceps, ſi fortè ſacello
Triſtitiam poſſim pellere corde meam.
Hîc oculos aperi attentos: tu conſpicis Ædem,
Quâ vix, in Regno hoc, fulgeat ulla magis.
Qualis majeſtas! audacia quanta! Gothorum
Ut veterum oſtentant omnia grande genus!
Nonne impreſſa probat reverentia, quàm benè ſacrum
Caligo hæc deceat relligioſa locum?
Singula ſed luſtrare juvet: pergamus ad aram,
Quam decorat dives marmoreuſque lapis.

* There is a great likeneſs between the ſecond quadrangle of New College, when ſeen from the Garden, and the entrance of the Royal Palace, at Verſailles, from Paris.

At niveo inprimis ductos è marmore vultus,
Qui ſuprà affulgent, intueare, velim.
Cernis, ut inſignis facie et ſplendentibus alis,
Æthereâ Gabriel miſſus ab arce, micat?
Erigit hic lævum ad cæleſtia tecta lacertum;
Pacalis dextrâ fulget oliva manu.
Virginea indè oculos convertit in ora modeſtos,
Prociduoque genu grandia juſſa refert.
Vocibus attentas aures advertit, at ipſum
Inſpicere Aligerum Virgo pudica timet.
Eminet in toto præclara modeſtia vultu,
Et mixto obſequitur caſta puella metu.
Nùnc cerne, ut tenerum, mater ſtudioſa, puellum
Luminibuſque vorat, blandaque corde fovet.
Dum pronus, mentumque manu ſubnixus, Ioſeph
In ſanctam ſobolem lumina figit hians.
Parte aliâ, Chriſti Corpus venerabile, raptum
Vix cruce, palleſcens, exanimumque vides.
Vir pius extincti Domini caput inclinatum
Conatur tremulâ ſuſtinuiſſe manu.
Virgo autem, manibus junctis, exangue cadaver
Proſpicit, ingenti quaſſa dolore Parens.

Tùm fracto victor tumulo redivivus ad auras
Emicat, et, domitâ Morte, triumphat ovans.
Corpora cuſtodum, Chriſto exiliente, duorum
Hìnc atque hìnc, gelido ſtrata pavore, jacent :
Appoſitâ hìc condit trepidantia lumina dextrâ
Averſus : Chriſtum reſpicit ille ſtupens.
Erectis demùm ad cæleſtia ſydera palmis,
Æthereas ſcandit, Patris amore, Domos.
Scandentem, manibus junctis, et poplite flexo,
Diſcipuli certant lumine quiſque ſequi.
Præcipua hæc Fidei miracula maxima noſtræ
Phidiacâ dicas ſculpta fuiſſe manu.
Juxtà aram latitat monumentum inſigne, per annos
Servatum multos, Pontificale pedum.
Ingens eſſe vides argenti pondus et auri :
Materiam verò quàm ſuperavit opus !
Nunc autem, nunc verte oculos ad limina Templi,
Atque, ſtupenda magis, cernere multa para.
Organa per diſtincta tubis radiantibus, ecce
Sublucet miro picta feneſtra modo.
Ipſa ſed aſcenſu ſuperes, precor, *organa* mecum,
Aſpectu poſſis ut meliore frui.

Intentis obſerva oculis, quæ plurima fulget
Expreſſa in fragili mira tabella vitro.
Quas verò egregiæ pars objicit ima feneſtræ,
Virtutes avido lumine, quæſo, vora.
Sunt ſeptem numero, quarum quæque arte magiſtrâ
Pingitur, et rarum ſplendida præbet opus.
En, dextrâ, prior apparet Prudentia, formâ
Inſigni, et niveâ conſpicienda togâ:
In ſpeculo mores et facta aliena tuetur,
Vitam ut componat certiùs ipſa ſuam.
Tùm lævâ, Serpens jaculo circumdatur: eſto
Conſilio hìnc lentus; cumque agis, eſto celer.
Juſtitia hanc ſequitur, roſeo in velamine: nudum
Firma enſem, inverſâ cuſpide, dextra tenet:
Altiùs æquatam ſuſtollit læva bilancem,
Quâ librat certo pondera quæque modo.
Fronti umbram manus obducit ſublata; ſuæque
Indè jugum trutinæ clariùs illa videt.
Proxima deindè venit, nitido Spes candida vultu,
Cumque oculis geminas tollit ad aſtra manus.
Anchora firma jacet juxtà; dum, vix pede tangens
Illa ſolum, votis regna ſuperna petit.

Conſpicitur ſerie in mediâ, blandiſſima Virtus
Quam Latia hoc dici carmine Lingua negat.
Hæc amat humanam, nullo diſcrimine, Gentem ;
Maternoque hominem pectore quemque gerit.
Turgentem nummis ſecum fert ſæpè crumenam*,
Auxilio ut miſeris prompta volare queat.
Hanc circùm, pueroſque vides, teneramque puellam,
Indole quos varios curat amore pari.
Sed jam, præcipuo radians fulgore, videtur
Attraxiſſe oculos quinta figura tuos.
Hæres obtutu tacito, lætuſque ſacratam
Exultas meritâ fulgere luce Fidem.
Sublatis ut cælo oculis dextrâque, ſupernas
Undè exorta venit, ſuſpicit illa Domos !
Nititur ut pedibus geminis immota, ſalubrem
Altiùs extollens, quam gerit uſquè, Crucem !
Huic Virtus vicina, togâ ſtat ſplendida flavâ,
Criſtatâ intrepidum caſſide tecta caput :
Truncatam digito tangit vix illa columnam,
Et cubat antè pedes, horridus ore, Leo.

* La Charité la ſuit, une bourſe à la main. BOILEAU.

Per validum corpus cum robore juncta virili
Gratia fœminea eſt, fœmineumque decus.
Denique Sobrietas extrema occurrit : amictam
Hanc nivei lini ſimplice veſte vides.
Dextrâ eadem cratera tenens, è vaſe nitenti,
In modica illimes pocula fundit aquas.
Hanc propè, fræna jacent quibus utitur illa, Libido
Si qua auſit juſtum tranſiluiſſe modum.
Non eadem facies eſt omnibus ; et tamen omnes
Germanas ferè par forma, pudorque probat.
Has vitæ quicunque duces elegerit, ille
Lætus aget puros, et ſine nube dies.
At nova ſunt miranda tibi : ſurſùm aſpice : rurſùs
Luminibus cernes plurima grata tuis.
Nonne vides humili Chriſtum in præſepe jacentem,
Quem circùm Aligerûm ſancta Caterva fremit ?
Hunc puer (ut puerûm eſt jam tùm ſtudioſus) ocellis
Figit amans : roſeo riſus in ore ſedet :
Parvâ illum palpatque manu, mulcetque, benigno
Subtimidum nutu, blanditiiſque trahens ;
Utque omnes jam corde fovet, ſic ille videtur
Omnes brachiolis velle tenere ſuis.

Intereà, expanſis manibus, caſtiſſima mater
Ludentem in puerum lumina fixa tenet.
Hanc contra, conjux ſanctiſſimus aſtat Ioſeph,
Oſtentans cunas, ſi quis adire velit.
Præcipuè monſtrare oculis digitoque puellum
Cæleſtem, tacito pectore lætus, amat.
Vix introducti, circùm cunabula cingunt
Flexo Paſtores, æmula turba, genu.
Hi ſobolem in divinam avidiſſima mirabundi
Lumina conjiciunt, nec ſatiare valent.
Poſt, alii properant face cum rutilante: puella
Monſtrat ſollicitis obſequioſa viam.
Deniquè præcipiti juvenis procul impete Paſtor
Accelerat: ſudor, rubra per ora, fluit.
Sub lævo aut baculus, ceu pondus inane, lacerto,
Aut, ovium terror, pendet agreſte pedum.
Dextro humero, in tumidâ fert ruſtica munera perâ:
Suppoſita auxilio dextra benigna venit.
Cernis, uti, flavâ egregius cervice, recurrit
Ad dominum pernix, ſollicituſque Canis?
Huic exerta micat, roſeo rubicunda colore,
Lingua; atque ex oculis vivida flamma ſalit.

Nonne, pedem referens, lenti nimìs ille videtur
Acer heri tardas increpitare moras?
Nunc oculos iterùm partem vertamus ad illam,
Quâ Virgo tantâ pingitur arte Parens.
Ponè, vides? ſummum ut vel bruta animalia Numen
Ipſa, ſibi quà fas, Boſque Aſinuſque colunt!
Cernuus ille caput profert largum, atque Puelli
In cunas oculis grandibus hæret hians:
Hic aſtans, timiduſque obliquo lumine tentat,
Cernere ſi Dominum poſſit et ipſe ſuum.
Poſt utrumque, duo Chriſti ad cunabula ſancta
Paſtores, greſſu præcipitante, ruunt:
Hi ſimul egregiam, ſi vera eſt fama, feneſtram
Quondam pinxerunt, effigieſque ſuas;
Quemque manu, ingenioque olim expreſsêre ſagaces,
Nunc cunis Chriſtum corpore, mente colunt.
Tum Juvenem ſolum, vernanti ætate nitentem,
Et croceâ indutum veſte, ſedere vides.
Cernis ut attonito ſimilis, ſimiliſque ſtupenti,
Tollit ad æthereum lumina fixa Polum?
Hæc demùm ſuprà, mediis in nubibus, Ales
Cæleſtis, pulchro fulgidus ore, micat.

Nititur hic mentum dextrâ, ſedeſque ſupernas
Suſpiciens, ſecum plurima mente putat.
Tæniola, haud procul hinc, volitat per inania: in illâ
Inſcripta hæc Græcè paucula verba legis.
Quæ tu patrata hîc miſteria conſpicis alta,
Scrutari Aligerûm percupit ipſe Chorus.
Humani ingenii nunc cum miracula tanta
Vidiſti, tibi quis pectore ſenſus ineſt?
Ingens attonitam nonne admiratio mentem
Occupat, et rerum ſæpè recurſat honos?
Ædes nulla alia hâc tantùm celebratur in Urbe:
Nulla ſuo abſcondit tot monumenta ſinu.
Verùm, ut poſt epulas et lautæ regia menſæ
Fercula, frugalis menſa, cibuſque placet;
Sic, hujus poſt pompam Ædis, placet illa ſacelli
Simplex, *Sancta Trias*, forma, nitorque tui.
Nos illam ergo Domum (non eſt via longa) petamus:
Æratum, primo limine, ridet opus.
Area ad oppoſitam viridanti gramine ducit
Ædiculam: hæc nobis obdit amœna latus.
Egregias quatuor ſtatuas, in vertice ſummo
Aſtantes, humilis truncaque turris habet.

Per tecti culmen, longo circum ordine fulgent
Vaſa antiqua, quibus flamma coruſca ſalit.
Aſt ipſam ſubeas Ædem: lepidiſſima nonne
Allicit aſpectu lumina læta ſuo?
Cernis uti robur ſummâ cælaverit arte,
Et lapides ipſos ingenioſa manus?
Divitias Cedrus hîc deprompſit odora: columnis
Altare hîc Cedrinis, veſtibulumque nitent.
Cingitur eximiâ muri pars alta coronâ:
Picturâ et radians te laqueare juvat.
Aſpice uti, cum Chriſtus adit ſublimis Olympum,
Hunc obit Aligerûm prona verenſque Cohors.
Nonne tibi antè alios placet ille puellulus omnes,
Qui, ſupero volitans aëre, ſolus adeſt?
Ut viridem ille manu ramum prætendit utrâque!
Ut reduci Chriſto lætus ovanſque præit!
Verùm, altare ſuper, raram intueare tabellam:
Inſolitum hæc oculis exhibet artis opus.
Objicibus ruptis, et fractâ mole ſepulchri,
Lucem iterùm, rutilo corpore, Chriſtus adit.
Transfixis pedibus, lateri, manibuſque verendis
Impreſſa, effuſo ſanguine, ſigna rubent.

Defluit huic, lævâ, niveum velamen ad imos
Uſquè pedes, zephyris ceu data præda, volans :
Longa latus dextrum, glaucoſque imbuta colores,
Per vacuum ludens aëra, veſtis obit.
Lævus dependet, plenuſque vigore lacertus :
Dexter ad oppoſitum tenditur Aligerum.
Hic viſu ſtupet attonitus, flectitque decora
Cum cervice retrò colla : ſtetêre comæ.
At nitido potiùs tamen admiratio vultu
Eminet, atque oculis gaudia læta micant,
Quàm gelido pectus trepidare timore videtur ;
Namque rubet roſeis purpura multa genis.
Expanſis Juvenis fulget candentibus alis,
Indutus viridi veſte rubrâque ſimul.
Dextra ſuper roſeos olli dependet amictus :
Tollitur æthereo palma ſiniſtra Polo.
Ad lucem ſuperam reducis, poſt funera, Chriſtì
Vultum oculis luſtrat, corpus et omne, ſuis.
Amborum pedibus, tumuli ſub mole, Satelles
Obrutus avulſâ, ruderibuſque jacet.
Pronus humi, ſaxiſque occulto corpore, tantùm
Turpe caput præbet, turpiaque ora tibi.

Nititur, obliquo reflexus lumine, caſûs
Si cauſam poſſit noſcere fortè ſui.
Hanc verò tabulam quis Zeuxis pinxerit, et quâ*
Doctâ efficta manu fulgeat illa, rogas.
Hos vultus, oculos, hæc viva coloribus ora
Sedula ſolerti Fœmina fecit acu.
Egregiam, undè hæc eſt imitando expreſſa, tabellam,
Windeſoræ, ſacrâ cernere in æde licet;
Windeſoræ, quam regum habitat Rex optimus, omnis
Juſtus amor Populi, deliciæque ſui.
Dum verò tabulæ illius, Regiſque verendi
Conſpectu noſtrûm poſſit uterque frui,
Inceptum pergamus iter; mecumque propinqui
Protinùs hìnc horti mira vireta petas.
Introitum prohibet clathrorum ferreus ordo;
Parte adverſâ abitum ferrea clauſtra vetant.
Cerne, ſoli quantum latitet ſub gramine: terram
Inſtratam viridi penè tapete putes.
Imprimis muros virides, virideſque columnas
Aſpice, quæ, circum larga vireta, nitent.

* This picture is a wonderful piece of needle work, copied from the beautiful picture in the King's chapel, at Windſor.

Converſum credas in ſaxa virentia gramen,
Quo ſtructa artifici tecta fuêre manu.
Sol ardet? patulas Tiliæ ſubeuntibus umbras,
Curvatæ in morem fornicis, ecce dabunt.
Sunt variis etiam arbuſtis loca conſita, muſis
Grata loca Aoniis, Thyrſigeroque Deo.
Suffulta hinc geminis per ferrea clauſtra columnis,
Proxima *Wadhami* cernere tecta vales.
Felix Gymnaſium! quod habere exultat eundem,
Quem nunc Oxonii tota Palæſtra, Ducem*:
Quo Duce non alius ſpectatior indole miti,
Virtute, urbanis moribus eſſe poteſt.
Illas te doleo non poſſe attentiùs Ædes
Cernere nunc, tibi nec temporis eſſe ſatis.
Nam greſſu celeri ruet umbrifer Heſperus; atque
Hoc nobis ſuperant multa videnda die.
Ergo, hinc egreſſi, rapido luſtremus euntes
Lumine, in oppoſitâ publica tecta viâ.
Cernis, utì lævâ Sedes *Exonia* ſurgens
Arridet frontis nobilitate ſuæ?

* The Rev. Dr. John Wills, Warden of Wadham College, and Vice-Chancellor of the Univerſity of Oxford, in the year 1794.

Eheu ! conſpicuam glacies cur aſpera formam
Læſit ? cur teneram ruga inimica cutem ?
Ædes oppoſitæ, dictæ de nomine, *Jeſus*,
Laudes uſque canent, *Elizabetha*, tuas.
Nec procul indè aſtas, Domus ô *Lincolnia*, famâ
Quàm tectis meliùs nota Palæſtra tuis !
Eximiæ tamen in nitidâ ſunt Æde feneſtræ,
Quas pinxit ſolers atque perita manus.
Vicinas *Sanctæ Triadi* quas conſpicis Ædes,
Illas, Gymnaſium *Balliolenſe* vocant.
Hanc benè commendat, tectorum haud pompa caduca,
Sed clari generis laus diuturna, Domum.
Ortum namque dedit Gens inclyta, *Scotia* quondam
Quam ſolio vidit læta ſedere ſuo.
Surgere tecta tamen nova, nec mediocria cernis,
Et latæ extremâ parte nitere viæ.
Hæc lege tu ; et Divi penetralia ad alta *Joannis*,
Haud mora, te patulo limite dextra feret.
Proſpicis annoſas ramis ingentibus ulmos,
Queîs, æſtus contrà, denſior umbra datur ?
Illæ, cum nimiis ardet fervoribus aër,
Defendunt patulâ limina prima comâ.

Antiquam obſerva ſuper oſtia ſumma figuram:
Inſignem factis exprimit illa Virum*.
Hic ille eſt toto *Bernardus* cognitus orbe,
Quo concuſſa Aſiæ terra tremore fuit.
Hic olim eloquio Gallos, totamque ſequentem
Europam, ſumptâ traxit ad arma Cruce.
O ſi nunc Aſiam redivivus ad arma ciêre,
Contra ipſos Gallos, voce tonante, queat!
Si vibrare ſuæ victricia fulmina linguæ
In Gentem valeat, quæ ſacra quæque terit;
Innocui Regis quæ ſanguine tincta cruentas
In cunctos Reges jactitat ore minas;
Quæ, quanto exarſit quondam Pietatis amore,
Tantâ nunc demens Impietate furit;
Quæ, Fidei everſis altaribus, audet in ipſum
Intorquere ferox tela nefanda Deum!
Seù potiùs blandâ Orator dulcedine poſſit,
Ah! utinam Populi flectere corda feri!
Ah! rursùs patriæque hominumque accendat amorem
Mutatis animis, obſequiumque Dei!

* Over the gate of St. John's College, ſtands an old ſtatue of St. Bernard, the famous preacher of the Cruſades.

Intereà, tibi ſi libeat, ſubeamus apertæ
Luſtremuſque oculis interiora Domûs.
Sunt aulæ geminæ: prior eſt jam antiqua: ſecundæ,
Ad normam exacta magis, forma nitore placet.
Porticus huic duplex, levibus quæ grata columnis,
Utilis eſt, fuſâ ſi cadat imber aquâ.
Prætereà nitidâ hâc longa atria cernis in aulâ*,
Quorum perpetuus ritè vigebit honos.
Illîc non paucos Rex quondam invenit amicos,
Magnificas epulas, hoſpitiumque Miſer.
Illîc exceptus, res eſt ſolatus acerbas,
In ſolio titubans *Carolus* ille ſuo.
Infelix! necuit quem diſſimulata nefandi
Ambitio, falſâ ſub pietate, Viri.
Nunc etiam illius fatumque necemque cruentam
Sanguineis lachrymis Anglia tota gemit.
O felix nimiùm Princeps! dum vita manebat,
Anglica dum licuit ſceptra tenere manu;
Oppida ſi fuerint quæque hanc imitata tenacem,
Oxonium tibi quam præbuit uſquè, Fidem:

* There is a long gallery towards the garden, in which the unfortunate Charles the Firſt was entertained, when he held his faithful Parliament, in Oxford.

Oxonium, columen Solii inſuperabile: ſemper
Regibus Oxonium fida Palæſtra ſuis.
Sed lepidum ſubiiſſe flagras, quem conſpicis, hortum;
Hâc totâ nullus ridet in Urbe magis.
Ars hîc et Natura ſimul, certamine pulchro,
Divitias omnes explicuêre ſuas.
Non ampli locus eſt ſpatii, immenſuſque videtur.
Decipit Ars oculos ingenioſa tuos.
Quâ parte incipiam, mens fluctuat: obvia primùm
Iſta tibi, credo, læta vireta placent.
Ceſpitis irrigui quanta area vernat honore!
Quàm ſunt hæc oculis gramina amica meis!
Pubentem à furiis Boreæ glacialibus herbam
Hæ benè Caſtaneæ, corpora vaſta, tegunt.
Sub patulis ramorum umbris, proh! quanta voluptas
Sediſſe, aut lentum ferre, referre gradum!
Vel, tibi ſi major placeat ſeceſſus, opacas
Spelunca in latebras te numeroſa vocat.
Illîc aut placidæ dono indulgere Quietis,
Aut Baccho, aut ſtudiis, colloquiove licet.
Maviſne egregios hînc indè errare per hortos?
Omnia plena viis, tramitibuſque vides.

Illæ te recto deducent limite, gyros
Hi per multiplices, innumeroſque ſinus.
Sed quamcunque viam, callem quemcunque ſequaris,
Pulvis, ubique jacens, aureus ornat iter.
Nec multa areola, arbuſto decorata virenti,
Aut vario florum picta colore, deeſt.
Hîc Tulipæ florent, Jaſminum, lutea Caltha,
Albaque purpureis Lilia mixta Roſis.
Quìn et * Ruſcum horrens multos habet arte colores;
Cumque gelu languent cætera, ridet idem.
Cerne ſed inprimis † *Laburna* hæc, haſque ‡ *Syringas*,
Horti ingens, cum ſunt tam benè juncta, decus.
Floribus ex illis diverſicoloribus, omni
Quantus honos horto, gratia quanta venit!
Auricomas oculis præbent curvata corollas
Laburna, et rutilo pendula flore micant:
Cærulea extollit benè olentia ſerta *Syringa*,
Et ſuavi nares mulcet odore tuas.
Sed non finis erit, florum ſi nomina quæque,
Aut arbuſtorum dinumerare velim.

* The Hollyoak. † The Laburnum. ‡ The Lilach.

Sint igitur ſatis hæc: quænam, his Regionibus, horti
Sit natura, genus, forma, decuſque patet.
Hortenſi Arte alias ſi vicerit Anglia Gentes,
Moribus humanis non minùs illa præit.
Quæ tibi res jam jam fiet manifeſta videnti
Ægris erectæ commoda tecta Domûs.
Arboreos autem fœtus hos aſpice eundo*,
Qui creſcunt magnæ parte ab utrâque viæ.
Ordine ſic nitido poſitis circumdare Galli
Fœtibus arboreis oppida magna ſolent.
Illîc, primæ Urbis vaſtiſſima mœnia circûm,
Ulmorum quadruplex læta corona viret.
Aſt ægrorum Ædes jam nos devenimus: illas
Ditis nonne putes limina celſa Viri?
Privatis domibus ſimplex, Gens Anglica ſumptu
Condere magnifico publica tecta ſolet.
Horum quàm facies oculis ſe nobilis offert!
Quantùm eadem ſolidâ ſimplicitate juvant!
Nam morbis ſemper cum Gens humana laboret,
Ægrorum ſolidas convenit eſſe Domos.

* There is ſome likeneſs between St. Giles's Street, and the French Bulwarks at Paris, and ſeveral other cities.

Interiore autem plùs delectabere parte ;
Namque homines, homo tu, pectore, credo, foves.
Hîc, morborum ingens terror, materque Salutis,
Mundities totâ dat ſua jura Domo.
Cernis, uti ſitus omnis abeſt, utque atria longa,
Lecti, vaſa, cibi, denique cuncta nitent ?
Ut benè Chirurguſque ſagax, Medicuſque peritus
Ægrotos certant arte levare ſuâ ?
Vix meliùs teneros, dulciſſima pignora, natos
Curet, ſollicito plenus amore, pater.
Has Ædes morbo afflictis qui condidit, idem
Sumptibus extruxit proxima tecta ſuis.
Aſpice uti ſurgit ſublimi vertice turris,
Undè per immenſos lumina volvis agros :
Impoſitum ut duplex humeris ingentibus Orbem
Suſtinet, et tantâ mole fatiſcit Atlas.
Ædis Atheneæ ut circà faſtigia, Venti
Bìs quatuor, circùm culmina celſa, volant.
Illâ turre ſuper, famâ vir cognitus, omnes*
Stellarum motus, circuituſque notat.

* The Rev. Dr. Horniſby, Profeſſor of Aſtronomy.

Sæpè adhibet longum hoc, quod conſpicis, inſtrumentum,
Miro res augens, amplificanſque modo.
Hujus ope, audaci conſurgit ad aſtra volatu,
Luſtratque æthereas, ceu ſua regna, plagas;
Vel potiùs Cœlo deſcendere ſydera cogit,
Et prompta antè oculos ſingula adeſſe jubet.
Inſuper ipſa Domus, dextro vel manca lacerto,
Per ſe, perque horti larga vireta, placet.
Fortè, tuo tecum tacitus ſub pectore, tanto
Supponi capiti tantula membra, doles.
Tecta etiam, credo, malles ſic condita, latæ
Ut frontem objicerent, non latus, illa viæ.
Quid verò his liceat ſine labe offendere terris?
Num vitio ſine ſunt optima quæque ſuo?
Sic tu, quam petimus, lævo gemis orba lacerto,
O *Vigorniacis* ſacra Palæſtra Choris *!
At reliquum ridet corpus: pulchræque nitenti
Flore juventutis cætera membra vigent.
Eſt tibi prætereà vaſtos proſpectus in agros:
Lataque, ſub muris, gramine prata virent.

* Worceſter College.

Per vallem ſerpens ſinuoſo tramite Flumen
Egregium vitreis fluctibus illa rigat.
Inſuper, Artis opus, præterlabente decoræ
Alluit ipſa Domûs ſepta canalis aquâ.
Et jam vela traham, niſi *Chriſti Eccleſia* nobis,
Ceù breve nùnc ſuperet trajicienda fretum.
Macte animis tamen, et pauca obſervemus eundo.
Turris an antiquæ culmina trunca vides?
Hanc circùm, erecta eſt Cuſtodia publica: ſontes,
Et miſeros gremio continet illa reos.
Non illos vexat, ſed contrà humaniter omnes
Et fidus Cuſtos, et benè mitis habet.
Quò verò deducit eos cum fuſte ſatelles
Simplice? nempe Forum Municipale petunt.
Scis quàm juſtâ illîc librentur crimina lance;
Nec mœſtos tibi mens, ſollicitoſque ſequi.
Tantùm igitur rapido Prætoria lumine cerne:
Simplicia hæc oculis ſunt, puto, grata tuis.
Luſtrabis cursìm pariter, quæ proxima Sedes
Obliquâ latitat *Pembrokiana* viâ.
Non iter eſt longum; nec tecta ſubibimus: Ædis

Quamvis conſpectu ſit ſacra digna tuo.
At pectus res una, licet ſit parvula, dulci
Perfundet ſenſu, lætitiâque tuum*.
Oſtia magna Domûs ſuprà, ſcaliſque duabus,
Adverſùs Plateam, parva feneſtra patet.
Hâc tenuem accipiunt angusta cubicula lucem,
Vixque valent vultu Solis et ore frui.
Nam ſævi gelidos ſpectant Aquilonis ad ortus,
Et Boreæ duro frigore aduſta rigent.
Inſuper, impendens capiti, campana canore
Rauco aures lacerat, nocte dieque, tuas.
Illîc delituit multos inglorius annos,
Incumbens ſtudiis, ingeniumque colens,
Ille vir, eloquio meruit qui deinde potenti
Facundi Imperii ſceptra tenere manu,
Doctrinâ, ſcriptis, animo, virtutibus ingens,
Æterna Anglorum gloria, *Johnſonius*.
Græcus ut Orator luci, ſolioque Suadæ
Fertur ab obſcuro proſiluiſſe Cavo.

* The room of the celebrated Johnſon, once a member of Pembroke College.

Aſt illuſtrem alium benè læta ſuperbit Alumnum*
Nutriviſſe ſinu *Pembrokiana* Domus.
Ad ſummum hîc ſacrorum apicem perduxit honorum
Doctrina, ingenium, vitaque ſancta, Virum.
Præſul ſede tuâ fulget, *Cantuaria*; et ille
Præmia virtuti nondum habet æqua ſuæ.
Verùm age: verte oculos: en *Chriſti Eccleſia*, cujus
Ad decus, heu! impar ſurgere Muſa nequit.
Quæ Domus, ô Superi! frontis proh! quanta ſuperbæ
Majeſtas! quantus corporis omnis honos!
Atria tu cùm tanta vides, palatia Regis
Splendida magnifici cernere nonne putas?
Aſpice, ut, ipſa Domûs ſuper oſtia, nobilis alto
Aſſurgit turris concamerata Polo.
Sub noctem, nonâ ipſâ horâ, cunctiſque diebus,
Campana, è ſummo vertice, larga tonans,
Imperat horrifico, latè exaudita, boatu
Heu! miſeros Juvenes præcipitare Domos.
Aula oculos ſpatio percellet viſa capaci,
Et formæ auguſtâ nobilitate ſuæ.

* His Grace the preſent Archbiſhop of Canterbury (Dr. John Moore), formerly a member of Pembroke College.

Terreus hanc ſurgit circùm undiquè nobilis Agger;
Pars autem inferior gramine læta viret.
In medio, virgamque gerens, tectuſque galero,
Mercurius vitreis arduus aſtat aquis.
Stridentes undas torquet de gurgite plumbum;
Imber et undivomo fuſus ab ore ruit.
Suſpice nunc: tectis, ſummique crepidine muri,
Ut columellarum læta corona nitet!
Quæcunque effulgent palatia magna per omnem
Italiam, egregio hoc condita more ferunt.
Talia tecta ſuper, flores pendentibus hortis
Omnigenos quondam Urbs maxima vidit hians.
O quæ tot miſeras, tam pulchræ dedecus Aulæ
Turpe, feneſtellas claudet amica manus!
Si, de more novo, grandeſque pareſque feneſtræ
Splendore illuſtrent Atria tanta ſuo:
Si regnent æquo poſitæ diſcrimine, necnon
Per tabulata ambo luceat ordo duplex;
Non aliâ, credo, ſe ſe jactaverit ullâ
Juſtiùs Oxonii tota Palæſtra Domo.
Si tibi, ſic poſita, haud placeat Cœnatio, mentem,
Vel primo aſpectu, leniet illa tuam.

Ducit ſcala duplex : proh ! quantula, cerne, columna !
  Quàm lepida aſſurgit ! quàm levitate placet !
Suſtinet, ingenti pendentia fornice, tecta,
  Ceu Cœlos Atlas, viribus una ſuis.
Protinùs hìnc ſpatioſa ſubis Cœnacula : nonne
  Summâ oculos feriunt nobilitate tuos ?
Quàm benè conſurgunt laquearibus alta ſuperbis !
  Quàm benè fulgenti luce coruſca micant !
Sic tabulas oculis circum luſtrare nitentes,
  Inque bono poſitas lumine, quiſque poteſt.
Quis frigere queat tanta ad ſpectacula ? quis non
  Hæreat ore ſilens, obſtupefactus, hians ?
Si coeant centum, feſta ad convivia, Reges,
  Atria nulla ſibi ſplendidiora velint.
Nec procul hìnc Ædes aſtat primaria, quondam
  Sanctis Virginibus, Cœnobitiſque frequens*.
Illîc ſunt etiam plures pictæ arte feneſtræ ;
  Et camera excelſi te juvat alta *Chori* ;
Sed quâ parte domum Boreæ penetrabile frigus
  Exurit, nova nos atque ſuperba trahunt.
Aſpice : pulchra magìs totam reperire per Urbem,
  Quàm quæ objecta vides, atria nulla queas.

* Formerly a Convent of Nuns.

Quadratam inſignemque Aulam præſtantia, cernis,
Circumeunt formâ condita tecta pari.
Ædes nemo unquam majori condidit Arte;
Tanto reſpondent ordine cuncta ſibi!
In mediâ quâcunque alâ, decora alta, columnas
Egregias magno ſurgere honore vides.
Candorem (inſolitum! hîc) ſervant ità ſaxa priorem,
Atria ut è niveo marmore facta putes.
Credo, obſervaſti quantùm Ordo Corinthius ornet
Tecta aſſervandis ædificata libris.
Hæc properes, reliquis non inferiora, videre.
Occurrunt oculis atria longa tuis.
Suſpice: cœlata ut radiant laquearia! an ulla
His unquam cerni nobiliora queant?
Hùc lectam, arboribus dives, *Norvegia* quercum
Miſit; et arte manus ſedula finxit opus.
Quanta tabellarum ſeries! quàm ſplendida! muros
Sexcentæ effigies, pulchra tapeta, tegunt.
Hîc et Parrhaſius, magnuſque videtur Apelles
Congeſſiſſe Artis tot monumenta ſuæ.
Nec ſtatuæ deſunt: hîc pulchro è marmore, *Lockî*,
Expreſſa artifici ſtant tua ſigna Manu.

Sic Domus, ut ſtudio juvenes accendat, Alumni
Egregii egregio nomen honore colit.
Sed totam tam multa diem præclara repoſcant;
Solque, nimìs præceps, cogit abire Domo.
Eximiâ eximius nobis datur exitus Aulâ,
Per quas luce fores Sol oriente fovet.
Cernis ut excelſæ aſſurgunt, nitidæque columnis?
Primum habet, Oxonii, Porta ſuperba locum.
Tali olim Portâ, Capitolia ad alta, triumpho
Sublimem currum Victor agebat ovans.
Hînc *Oriellæas*, et *Chriſti-Corporis* Ædes,
Ædibus his nimiùm heu! proxima tecta, petis.
Namque, licet niteant, Vicinia penè nitorem
Illis tanta ſuum, tamque propinqua, rapit.
Ut, ſi ſtent propiùs Palatia regia, partim
Amittit lepidum villa venuſta decus.
At, ſi non æquè perſtringunt lumina, quædam
Sunt in utrâque tamen conſpicienda Domo.
In primâ occurrunt Cœnacula læta Palæſtrâ,
Queîs ducit multo Porticus alta gradu.
Prætereà frontem præbet formoſa venuſtam
Vix ſtructa utilibus Bibliotheca libris.

Sunt alii, oppoſitæ pratis viridantibus, Ædes
Quæ jucundâ oculos ſimplicitate trahunt.
Illa per, irriguo ridentia gramine, prata
Nos longum tandem conficiamus iter.
Nec *Mertonenſis* coram occurrentia turris
Ipſa tuam ſiſtent culmina nota viam.
Nam tibi Diva ſuam oſtendit jam *Magdala* turrim,
Cui, quamvis ſimili, gratia major ineſt.
Mater, pulchra quidem, ſed paulò antiquior, illa eſt,
Contractumque annis jam ferè corpus habens;
Hæc eſt nata, micans primævo flore juventæ,
Atque levis retinens corporis omne decus.
Quìn *Mertonenſes* præ ſe, Divique *Joannis*
Horti aliquid parilis, conſimiliſque ferunt.
Horum illos jucunda putas compendia: ut arcto
Orbiculo ora viri picta tabella refert.
Ergo, non hortis, ſacrâ non Æde retentus,
Continuò mecum prata propinqua petas.
Eſt tempus, totâ quo quiſquis notus in Urbe,
Æſtivo captat frigora amœna die.
Hîc ulmos inter, frondoſa cacumina, cernis,
Se longum recto tramite pandit iter.

Surgere ſublimes illas et jungere, curvi
Fornicis in morem, brachia magna vides.
Tam denſis ſub tegminibus tantâque ſub umbrâ,
Nunquam te rabidi læſerit hora Canis.
Cum verò, pulſis Phœbi fervoribus, aurâ
Nunc Zephyrus recreet corpora cuncta ſuâ;
Circùm prata omnes, fluvialia littora circùm,
Cerne per obliquas ire, redire vias.
Nos et idem teneamus iter; varioſque videbis
Oxonii cultus, multipliceſque togas.
Ordine pro vario hîc, vario pro munere, quiſque
Indutus variâ cernitur ire togâ.
Una dies vix ſufficiat, ſi nomina tantùm
Et varias ſpecies enumerare velim.
Deſcribam paucos igitur, quos fortè videbo
Ferre pedem objectos, ſivè referre viros.
Artifici criſpata manu, quibus ampla tumeſcit
Cæſaries, emptis ædificata comis;
Quos, jam ætate graves, greſſus componere lentos,
Atque animo ſecum multa putare vides;
Hi ſunt doctrinâque ſimul, meritoque vocati
Doctores titulo, Gymnaſiiſve Duces.

Hos detecta caput, comiſque juventa ſalutat ;
Utque patres teneros obſequioſa colit.
Queîs ſunt *Velveticæ* manicæ, decora alta : ſuperbam
Queîs circùm currit purpura nigra Togam :
Qui ſolidis pollent ætatis viribus, atque
Undiquè ſolliciti lumina acuta ferunt ;
Hi, rigido inſtructi Cenſorum munere, curant
Servari mores, et data jura coli.
Nec labor hic gravis eſt ; adeò benè nata juventus
Leges ritè ſequi ſpontè volenſque ſolet.
Serica queîs ſplendet veſtis, quorumque galeros
Quadratos, auro fulgidus, ornat apex ;
Hi magnum antiquâ ducunt ab origine nomen :
His centum illuſtres enumerantur Avi.
Sunt quos diſtinguit pariter Toga ſerica ; at alto
Nigra quibus tantùm vertice criſta volat.
Cum ſint aut opibus clari, aut Natalibus, illos
Majoris Socios Ordinis indè vocant.
Queîs nec habet manicas, nec fulget ſerica, verùm
Texta è materiâ ſimpliciore toga eſt ;
Et gemina à tergo, prælongaque tænia pendet,
Hos *Commenſales* dicere quique ſolent.

Horum ingens numerus, ſtudiique immenſa cupido:
Doctrinæ horum animis igneus ardet amor.
In genus hoc Juvenum Patria inclinata recumbit:
Difficile hos vitæ munus ad omne vocat.
Hìnc et Conſultos Juris, Medicoſque ſagaces,
Rectoreſque ſacros, utile corpus, habet:
Sæpè et Pontifices fonte hoc trahit ubere: demùm
Hìnc Defenſores ſeligit illa ſuos.
Gentis in auguſto quondam benè juſta Senatu
Pluribus, antiquo more, ſedere dabit.
Illi ibi certabunt, Solii Legumque columnæ,
Aſſerere eloquio publica Jura ſuo:
Illi *Pittæos*, immortaleſque ſecuti*
Burkæos, pariter nomen ad aſtra ferent.
Quas juvat hîc meritas dare *Commenſalibus*, illas
Jus æquum in laudes quiſque *Scholaris* habet.
Huic toga materiam eſt ſimilis, diverſaque formam;
Namque amplis manicis brachia amicta tument.
Cætera vix illis hic diſcrepat: æqua librorum
Huic mentem torquet, laudis et æqua ſitis.

* The Right Honorable William Pitt, Chancellor of the Exchequer, and Mr. Burke, both members of the Houſe of Commons, and wonderful men for their eloquence, and love of their country.

Hic et, docta, tuas aut cogere, Græcia, gemmas
Diligit, aut flores carpere, Roma, tuos;
Et cum nunc ſtudii ſub pectore ferveat idem
Ardor, idem meritis tunc quoque munus erit.
Prætereo plures alios, quos, agmine longo,
Indutos nigrâ veſte, venire vides.
Procedunt duo treſve ſimul, junctiſque lacertis;
Quod tibi amicitiâ pectora juncta probat.
Altera ſed rapiunt oculos ſpectacula: præter-
Labentem cernis, nobile Flumen, *Iſim*.
Antè *Tamæ* quàm jungat aquis ſocialibus undas,
Reginæque Urbis mœnia celſa petat;
Oxonii lætis ſub mœnibus ille videtur,
Captus amore loci, nectere velle moras.
Idem gaudet aquas humili ſubvolvere ripâ,
Egregiâ ut poſſit clariùs Urbe frui.
Aſpice, ſubjectas quot eunt redeuntque per undas
Naviculæ! fluctus quâ levitate ſecant!
Non de plebe aliquis, ſed Navita nobilis, ipſe
Sedulus inſolitâ dirigit arte ratem:
Ipſe gubernacli, Palinuro major, habenas
Flectit, datque idem carbaſa plena Notis.

Cerne et per vitreum quàm plurima cymbula Flumen,
Uno remo, uno remige rapta, volet.
Scilicet à Juvene hìc Res Nautica diſcitur omni,
Nautica Res, Patriæ firma columna ſuæ.
Quiſque hîc tantæ Artis, nullo auxiliante Magiſtro,
Per ludi tempus, prima elementa rapit.
Sic gremio heroas, belloque marique futuros
Howæos, felix ſurgere cernit *Iſis**.
Parſem laudis habet, qui mollibus alluit undis
Cherwellus pariter florida prata ſuis.
Hic à parte fluens Boreæ glacialis, *Iſæas*
Amplificare ſuis fluctibus ardet aquas.
Non tibi depingam, quem cultum Civis honeſtus,
Quem Matrona potens, Virgove clara gerit.
Nam *Londinæos*, facto certamine, cultus
Hîc Vir quiſque ſequi, Fœmina quæque ſtudet.
Talia dum memoro, nobis ille adfuit Hortus,
Aut raris plantis, utilibuſve ſacer.
Hunc portâ nitidâ, quam Doricus Ordo perornat,
Et Vir conſtruxit nomine notus, adis.

* Admiral Howe, juſtly entitled to immortality, for his glorious and complete victory over the French Fleet, the firſt of June, in the year 1794.

Quinque agri inſolitus circumdat jugera murus,
Et magnas, intrà ſepta, recondit opes.
Quæque externa illîc, et rara arbuſcula, quæque
Solerti colitur planta aliena manu.
Hæ vectæ ignitis, immenſa per æquora, ab oris
Mirantur gelidâ creſcere poſſe plagâ.
Omnis nec ſtudio curatur planta minore
Indigena, areolâ quæque repoſta ſuâ.
Illìnc, omnigenis medicamina idonea morbis,
Vitales ſuccos ducere cuique licet.
Illa loca hîc rurſùs jam conſpicis, è quibus Urbem
Egregiam circùm cœpimus ire ſimul.
Oxonium quot dives habet Monumenta, diei
Unius ſpatio, cernere penè datum eſt.
Aulas prætereà (ſic dicunt nomine) quinque*
Continet illuſtri docta Palæſtra ſinu.
Parvula ſunt illæ Collegia, quæ quoque Alumnos,
Leges, jura colunt, eximioſque Duces.
Hinc indè illa latent, totam diffuſa per Urbem;
Atque ea viſere nunc ſerior hora negat.
At ſat lucis adhuc, valeas ut, præpete curſu,
Heddingtonæum ſcandere molle jugum.

* The Halls.

Hoc Hyemis, toto hoc Autumni tempore, quiſque
Vere novo, aſcenſu hoc exſuperare ſolet.
Cernis, uti, facili demittens culmina clivo,
Colliculus gratum tramite præbet iter?
Quàm pulchro, magnæ veteri hâc ex *Arbore* famæ*,
Paſcere proſpectu lumina acuta vales!
Oxonii hìnc turres, ſaltus, colleſque ſupini,
Fluminaque et valles, prataque vaſta patent.
Hìnc tu *Blenhemiæ* ſublimia culmina Villæ†,
Culmina Romano Cæſare digna, vides.
Hæc ſi fortè adeas, meritis ingentibus æqua
Magnanimæ Gentis Dona ſtupebis hians.
Nec procul egregiam Gens dudùm *Harcurtia* Villam‡,
Gens centum Proavis nobilitata, colit:
Præclaris factis, virtutibus, atque fideli
In Reges ſtudio Gens benè nota ſuo.
At *Stowæ* quoque tecta, parùm diſtantia, viſas‖.
Mirè animum capiet Villa ſuperba tuum.

* A famous Tree, called Joe Pullen's Tree, on the top of Heddington hill.

† Blenheim Houſe, the Seat of the Duke of Marlborough.

‡ Newnham, the Seat of the Earl of Harcourt.

‖ Stowe, the beautiful Seat of the Marquis and Marchioneſs of Buckingham, whoſe humanity, kindneſſes and attention, towards 700 unfor-

Frontem magnificam, ferè regia limina, ſigna
Rara, hortos, tabulas offeret illa tibi.
Pompa ſed hæc omnis vaneſcet protinùs, ipſos
Si Villæ Dominos fortè videre licet;
Si fortunatas claro cum Conjuge Sedes
Illuſtris Conjux, Fœmina rara, beat.
Egregiis Vir ſæpè Potens ex ædibus omnem
Famam habet: hi Villæ ſunt decus Ambo ſuæ.
Aſſiduæ comites, examen nobile, cunctæ
Virtutes circùm ſemper utrumque volant.
Hæ ſunt nuper eos Regalia ad illa ſecutæ
Atria, tot Gallis hoſpita tecta bonis.
Ambo mille illîc Profugos, infanda relatu
Pro ſanctâ paſſos Relligione, fovent.
Illîc vulneribus Miſerorum aſpergere dulci
Balſama blanda manu certat uterque Parens.
Verùm hìnc nos rapidi greſſum referamus; ut una
Res per iter cerni, te redeunte, queat.
Eſt parva illa quidem, fateor, præclara nec inter,
Quæ tu vidiſti, tot Monumenta, micat.
Sæpè autem, rutilis cum ſplendent floribus horti,

unfortunate French Clergymen, in the King's Houſe at Wincheſter, are above all expreſſion, and deſerve an eternal gratitude from every good Frenchman, and from every friend to mankind.

In mediis legitur floſculus ortus agris.
Lævâ nonne vides tenui conſurgere in horto
Ædiculam, muris candida tecta novis?
Humanæ cernis ſignum immortale Salutis
In ſummâ tecti fulgere fronte Crucem.
Illâ, *Romanos* rituſque Fidemque ſecuti,
Pacifici cives Numen in Æde colunt.
Illîc, more ſuo, faciunt hi Sacra Tonanti;
Proque bono certant fundere Rege preces.
Illîc inſignis, magno ex Autore, tabella,
Nempè ſuâ Chriſtus, vix Cruce raptus, adeſt.
Qui ſapiunt, dignam hanc præſtanti laude tabellam,
Artis et egregiæ rarum opus eſſe putant.
Aſpice (ſi Chriſti valeas exangue cadaver
Cernere, et extincti membra cruenta Dei)
Aſpice, ut amiſſo liveſcit ſanguine corpus!
Ut clauſa exanimâ lumina fronte latent!
Ut cruor innumero manat de vulnere! acutis
Vepribus ut circum tempora ſecta, fluit!
Atra viden' toto lethi veſtigia vultu
Impreſſa, atque nigro lurida labra ſitu?
Et qui, ros veluti tenuiſſimus, humor aperto,
Per gelidum pectus, ſpumeus ore pluit?

Si quis perſpiciat tam lamentabile funus
Frigidus, atque oculis lachryma nulla cadat ;
Huic eſt, crede mihi, Mens robore durior ipſo ;
Æſque triplex circà ferrea Corda riget.
Verùm, hanc ne fauſtâ videas ſub luce tabellam,
Jam denſæ tenebræ, noxque inimica vetant.
Sed, quæ nunc te agitat præclara Cupido videndi,
Hanc alio poteris tu ſatiare die.
Sint igitur ſatis hæc : longum trajecimus æquor ;
Et portum incolumis noſtra Carina tenet.
At, cum dudùm avidus cupias cognoſcere, quiſnam
Ille tuæ fuerit Duxque Comeſque viæ ;
Ne tibi ego forsàn videar præbere querelæ
Anſam aliquam, paucis accipe : vera loquar.
Gallus ego, atroci Patriam ſum Lege coactus
Heu ! fugere, atque animo dulcia quæque meo.
Anglica me duxit felix in littora Sydus ;
Et Stella Oxonium duxit amica magìs.
Anglorum de more, Manus, non una, benignè
Hîc fovet exilii vulnera acerba mei.
Quid mirum ergo Anglo ſi pauca rependere ? ... verùm
Ædes ecce tuas, ecce Cubile. Vale.

FINIS.